IMPETIGINUM NOVA DIVISIO.

SPECIMEN
INAUGURALE MEDICUM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
SIGISM. HENR. MICHELSEN,
POLONO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
M. BOAS, MED. ET CHIR. DR.,
H. BAMBERG, MED. ET CHIR. DD.,
J. J. SACHS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

CELEBERRIMO, ILLUSTRI, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO,

C. G. NEUMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO SECUNDARIO NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS, REGI A CONSILIIS MEDICIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITER. SODALI,

NEC NON

VIRO

SPECTATISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

A. ASSUR,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD REGIOMONTANOS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE SECRETARIO PERPETUO,

AMITINO SUO VENERATIONE DIGNISSIMO,

OB COMPLURA

INSIGNIS BENEVOLENTIAE

ET HUMANITATIS

DOCUMENTA,

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cum e legibus academicis sanctisque majorum institutis mihi officium opusculi cujusdam medici scribendi oblatum esset, ut honores doctoris Medicinae et Chirurgiae mihi tribuantur; diutius quidem haesitavi ac in dubio fui, quid e copia medicarum disciplinarum elaborandum caperem. Non facile enim tiro quisque nisi in rebus naturalibus aliquid novi dicere vel invenire potest, cum illa diligens et diuturna morborum observatio eum omnino fugiat et deficiat. Nihil igitur gratius ac jucundius mihi evenire potuit, quam ut novam impetiginum divisionem ab Illustrissimo Dre. *Neumann* praeceptore clinici caritatis maxime venerando in lectionibus traditam exponerem. Praeceptor enim maxime spectabilis de quorundam exanthema-

tum medela disserens, etiam de impetiginum varia divisione ejusque vitiosis principiis sermonem habuit et divisionem earum secundum sedem maxime probandam nobis proposuit. Quae cum mihi maxime arrisisset, statim consilium rationis praeceptoris tractandae cepi et venia publice tradendae a praeceptore e consueta benevolentia et benignitate data, nunc pro virili parte opinionem ejus elaborare conor.

Ecce, Lector benevole, opusculum medicarum scientiarum tironis, vitia igitur et peccata ut tirocinio benigne et benevolenter ignoscas et indulgeas maximopere rogo quaesoque.

Si jam in generali morborum divisione nosologi, natura libera et omnipotente, nulli systematicae coarctationi obediente, sed in saltibus et viis suis omnium systematicorum operam illudente propriamque metam sequente, tam incerti et ancipites inveniuntur; ut in ipsa artificiosissima et accuratissima morborum divisione genera affectionum occurrant, quae et ob complicationem et singularitatem nulli generum in systemate enumeratorum adaptari possint; quodsi porro difficultas systematis exponendi eo major est, quo minus essentiam morborum eorumque indolem intelligere valemus, et quo magis eos e phaenomenis et signis dijudicare et animo complecti debemus: quanto majora impedimenta, quo plures difficultates exanthematum classificatio et distributio praebere debet, morborum tanquam quorum naturam et indolem plane fere ignoramus, et qui in formis et decursu et ordine tantam varietatem et diversitatem ostendunt, ut ipsa florum ordini haud dissimilis classificatio *Aliberti* [1]) non omnes gradus et lusus naturae amplectatur varietatesque affectionum cutis toties eveniant, quae nulli ab hoc auctore descriptorum generum similes inveniantur [2]).

In nulla igitur morborum classe tantam confusionem et auctorum dissentionem quantam in exanthematum observationibus et descriptionibus offendimus, ut doctissimis et expertissimis historiae medicae scriptoribus certam et accuratam aetatem quorundam exanthematum evolvere et certo quodam modo definire haud contigerit [3]).

---

[1]) Précis théorique et prâtique sur les maladies de la peau. Parisiis 1818. Vol. I. II.

[2]) cf. *Casper's* Charakteristik der französischen Medizin. Leipz. 1822. Seite 113 sq.

[3]) Curt Sprengel's Geschichte der Medizin. Th. V. Ejusdem Handbuch der Pathologie. 3. Th. S. 505. Hensler Geschichte des Aussatzes.

Quamquam vero recentissimis temporibus seduli tate et studio quorundam auctorum inprimis *Willanii* [1]), *Plenkii* [2]), *Batemani* [3]) et *Aliberti* [4]) doctrina illa de affectionibus cutaneis certior et locupletior evasit et exanthematum acutorum quidem et diagnosis et therapia e classificatione illa e forma desumpta magnam sane utilitatem cepit, cum hujus generis morbi et in forma et in decursu et exitu tum inprimis in typo constantes et non variabiles appareant; chronicorum tamen (impetiginum *Frankii*) et forma et decursu variabilium et vacillantium diagnosis et cura haud facile ex illa classificatione secundum formam composita fructum ullum cepit.

Quod vero dissertum a *Batemano* [5]) ipso comprobatum ut eo magis vere et rectius intelligatur, non utile erit, impetiginum divisionem ab illis viris institutam pro virili parte brevi recensioni accuratiori subjicere.

Plenkius quidem primus diligentioris cutanearum affectionum distributionis auctor quatuordecim classes sistit: Maculas, Pustulas, Vesiculas, Bullas, Papulas, Crustas, Squamas, Callositates, Excrescentias, Ulcera, Vulnera, Insecta cutanea, Unguium et Capillorum morbos.

Quaevis vero rerum naturalium divisio ex uno fundamento et indole desumatur necesse est, ut in morbis modo sedes, modo forma, modo organon, modo typus classium differentiam constituat; in undecim prioribus *Plenkii* classibus forma distributionis fundamentum confirmat, in duodecima, causa, in decima tertia et decima quarta, locus et organon, ratio, quae omnibus dividendi principiis omnino repugnat. Tum e *Plenkii* divisione plures impetigines tam variabiles in vario stadio illarum modo huic modo illi classi adnumerandae erunt; cum scabies primum pustulas formans ad pustulas; in crustas vero transiens ad classem crustarum reducenda sit. Ita

---

[1]) Description and treatement of cutaneous diseases. Lond. 1798 — 1805. Vol. III.

[2]) Doctrina de morbis cutaneis, qua hi morbi in suas classes, genera et species, rediguntur. Viennae 1776. fol.

[3]) A practical synopsis of cutaneous diseases. Lond. 1813.

[4]) Description des maladies de la peau observée à l'Hôpital St. Louis et exposition de meilleures methodes suivies pour leur traitement. Livraison I. — XII. à Paris 1806 — 1812. Fol.

[5]) l. c. praefatio.

morbus idem e. gr. elephantiasis in quatuor classibus ex illa divisione tractari debet [1]).

Quid deinde de confusa et implicata *Aliberti* divisione dicam? qui nullam dividendi rationem sustinens omnia confundit et ex arbitrio suo quosdam morbos in unum confert et tractat. Ubi enim summo jure Illustrissimus *Casper* [2]) quaerit, est fundamentum divisionis, cum plica, tinea, herpes, scrofulae etc. classes constituant? neque enim formam neque locum neque ullum momentum in dividendo respicit.

Sed ipsa *Batemani* classificatio in impetiginibus haud satisfacit neque auctor ipse [3]) vitia ejus ignorat. Chronicae enim cutis affectiones cum ut omnes morbi chronici nec formam nec indolem eandem conservent, sed ut *Proteus* ingenium suum mutent, unus idemque morbus modo ad hanc modo ad illam classem pro varia forma et diverso stadio ejus numeratur; imo in morbum alius ac diversae indolis transit et hac ex causa saepe dubitandum est, quo loco systematis hic morbus tractandus sit. Ita v. gr. lichen in morbi progressu squamas format et in psoriasin transit [4]) lichen agrius in pruriginem; imo prurigo mitis scabiei indolem capere potest et ita inconstantia formae in impetiginibus animum medici fallit et attentionem ejus turbat, ut de forma principium dividendi in his morbis desumere neque commodum neque utile videatur.

Quapropter ipsa recentissima exanthematum divisio *Goodii* [5]) principiis et rationibus modo expositis parum respondet. Sistit enim auctor has exanthematum classes: Ephidroses, Exantheses, Exormias, Lepedoses, Ecphyloses, Ecphyeses, Males, Ecphymata, Trichoses, Epichroses. Cum vero plurimae harum classium *Batemani* ordinibus respondeant, ut Epichroses *maculis*, Exormiae *papulis* et pari modo ceterae aliis ab hoc scriptore constitutis ordinibus aequales sint, vitia Batemaniani systematis haud facile effugit, nec principium ejus e forma

---

[1]) cf. Bateman praefatio.

[2]) l. c. pag. 115 sq.

[3]) l. c. praefatio.

[4]) *Bateman* l. c. pag. 38.

[5]) The stady of medicine by *John Mason Good*. Lond. 1822.

desumptum recensionem accuratam et severam sustinet, ut ea, quae jam supra in Batemaniana divisione memoravi, etiam hic locum teneant [1]).

Ceterum omnium morborum divisio propterea e forma plerumque facta est, quod e phaenomenis dijudicantur, phaenomenon vero ex ipsa forma desumitur, et hoc modo morbi quasi res naturales judicantur et tractantur. Exanthemata vero, quae ex essentia sua magis in tempore posita sunt, neque e phaenomenis judicari, neque ut res naturales haberi debent et idcirco divisio eorum secundum formam locum habere non potest.

Jam vero omnis morborum divisio nosologica triplicem utilitatem afferre debere mihi videtur, cui nisi satisfaciat lusus ingenii inanis, imo saepe noxius judicari potest.

Primum cum tironi ansam dignoscendi suppeditet, et phaenomenorum ordinem disponat, eumque excitet, ut signa, quae in morbo quodam adsint, cuidam morborum systemati adaptet; attentionem et diligentiam observandi in eo alliciat, ingeniumque perscrutandi maxime stimulet.

Secundum vero fructum e divisione morborum nosologica literae ipsae capiunt. Systema enim illud quasi sermonem medicorum confirmans et communicationem et rationem intelligendi promovens ad intelligentiam et faciliorem comparationem observationum eorum non parum contribuit, ut de utilitate et noxa cujusdam medendi rationis in quovis morbo facilius et majore securitate judices.

Tertius et ipse gravissimus et maxime usus ex illa divisione therapiae procedit et remediis adhibendis maxime utilis et salubris invenitur. Morbi enim ex principiis quibusdam divisi eorumque tota turba in unam classem collecta medico inprimis tironi id commodi praebent, ut in unius classis therapia discenda rationem totius morborum turbae tractandae discat, et hoc modo studium morborum therapiae optime procedit maximeque levatur. Quae tamen dividendi ultima ratio a nosologis ut magis, quam factum est, respiciatur adhuc in votis est. Licet enim saepe nobis non contingat, ut es-

---

[1]) cf. Salzburger medicinisch-chirurg. Zeitung. Jahrg. 1825.

sentiam et veram causam cujusdam morbi perspiciamus, et ita ex illa intellecta morbos dividamus, tamen cura morborum saepe nobis principium dividendi facile praebet nec raro in morborum essentiam eorumque similitudinem e pari actione remediorum concludere possumus.

Tum utilitas illius dividendi rationis, quae sedem morbi inprimis respicit, sponte in conspectum venit; nam in divisione morborum secundum formam medicus facile consuescit in phaenomenis fortuitis haerere, diversas quidem aberrationes eorum diligenter observare essentiam vero ipsam minus perscrutari ingenium et indolem plane fere negligere et hoc modo in morbis tractandis illa vitiosa et corrupta ratio medendi symptomatica prodit, quae omnem veram et profundiorem morborum causae et indolis disquisitionem illudens et negligens artem nostram corrumpit et deprimit. Exemplum, eheu! triste et sane haud probandum apud Gallos recentissimis temporibus invenimus. Nam in studiosissima et acutissima perscrutatione formarum et phaenomenorum externorum, res ipsa apud eos despicitur observationemque effugit, ut systema morborum, quod *Pinel* [1]) edidit (auctor alioquin maxime laudabilis), in rationes et sententias ineptissimas et maxime singulares medicos facile inducat [2]). Licet enim in iis scientiis, quae adspectu externo perficiuntur, inprimis in anatomia pathologica, hac dirigendi animi ratione illi optime proficiant et progrediantur, ut quidem negari non possit, hanc medicarum disciplinarum partem studio et sedulitate Gallorum nuper haud parum perfectam esse; tamen in altioribus studiis et scientiis animo contemplandis facile nobis postponantur; imo nimia et pertinacia observatione earum rerum, quae sensibus capiantur, nostrae scientiae forsitan nocent, ut *Broussais* et sectatores ejus systemate sic dicto physiologico [3]) nuper fecerunt [4]).

Quod utilissimum et gravissimum dividendi princi-

---

[1]) Nosographie philosophique etc à Paris 1818.

[2]) cf. *Casper* l. c. pag. 4. sq.

[3]) Examen des doctrines medicales et des systemes medicales de nosologie. à Paris 1821.

[4]) cf. *Conradi* Kritik der Vorlesungen des Dr. Broussais über die gastrischen Entzündungen, aus den Heidelberger Jahrbüchern der Literatur für das Jahr 1821. abgedruckt.

pium medicorum germanorum facile princeps *Joannes Petrus Frank* in impetiginibus satis perspicue agnoverat et ex consueto acumine ingenii ejus impetigines secundum sedem et indolem in maculosas vel tales, quae in epidermide vel reticulo mucoso haerent, et depascentes, quae profundius demersae pellem ipsam exedunt et consumant [1]). Cum tamen neque species neque genera exponat copia et multitudo ordinis cujusdam maculosarum et depascentium nempe nimia fit et hoc modo tironi omnis dignoscendi ansa deest, imo et turbatio et confusio auctorum parum impeditur et coërcetur.

Nova vero et ut mihi videtur et diagnosi et curae utilissima et saluberrima a praeceptore maxime venerando clinici nosocomialis berolinensis Illustr. Dre. *Neumann* de variis principiis divisionis disserente nobis tradita est divisio, quae adeo mihi arrisit, ut mox consilium, eam publice tradendi caperem et venia e benevolentia ejus lubentissime data nunc pro virili parte hic exponere coner.

Principium vero ordines dividendi secundum ejus opinionem e sede morbi peti idoneum, cum igitur impetigo modo rete vasculosum cutis externam superficiem induens, modo cutis substantiam ipsam et omne corium, modo etiam telam cellulosam ipsi subjectam occupet ejus simul superficiem internam ideoque praeter corium tres ordines impetiginum prodeunt:

I. Primus ordo eas amplectitur, quae corio ipso integro nil praeter ejus superficiem externam vasculosam et sensibilem laedunt, quas cum psora hujus ordinis sit communis, si unum malum Psoriases appellemus.

II. Secundi ordinis sedes cutis vel corii ipsa compages est, quae Herpetes appellentur.

III. Tertius ordo est earum, quae superficiem cutis internam ideoque telam cellulosam ei subjectam simul affectant, quas nuncupamus Impetigines leprosas cum leprae id sit constans, ut telam cellulosam cuti subjectam corrumpat.

---

[1]) *Joannes Petrus Frank* de curandis hominum morbis Epitome Lib. IV. pag. 12 sq.

Huic divisioni addendum est:

1) Quod, cum omnis externarum partium vita ex intimis alatur; secundi ordinis impetigines simul cutis superficiem externam laedunt, tertii vero ordinis simul et corii compagem et superficiem ejus afficiunt.

2) Quod qualiscunque impetiginis forma in aliam transeundi proclivitatem ostendat. Ipsa ergo psora, quae nonnisi superficiem externam tenet, vel incendio graviori suborto, vel cuti diutius male affecta, vel exulcerationes corii, vel et telae cellulosae inflammationes potest producere. Sic in Herpetis pessima forma, quam exedentem appellare valemus, et tela cellulosa cuti subjecta teritur.

Valet et alia impetiginum omnium divisio secundum causam. Licet enim omnis impetigo nonnisi ex alienatione vitae cutis nascatur, tamen ratio mali differt, si causa vitam ejus alienans aliunde nata in sanum corpus transit, ibique nova generatione pathologica multiplicatur, quam rem Contagionem dicimus.

Differt etiam, si conditiones cutem alendi ex quodam interno vitio vel vasorum, vel cutis ipsius corrumpuntur, quoinde divisio impetiginum in spontaneas et contagiosas venit.

Quibus intellectis schema impetiginum divisionis triplicis, quod sequitur, prodit:

I. secundum sedem impetigines dividuntur in	II. secundum causam in:	III. secundum indolem in:
1) Psoriases {morbos superficiei cutis ext.}	1) spontaneas et	1) erethicas et
2) Herpetes (morbos corii)	2) contagiosas impetigines.	2) torpidas.
3) Leprosas {morbos superficiei cutis int.}		

Quamquam auctores varias de causa proxima exanthematum sententias tradiderunt et modo in cutis vi vitali alienata, modo in vitio reproductionis eam posuerunt [1]; tamen omnes fere inter se consentiunt phaenomena illa, quae in exanthematibus in conspectum

---

[1]) cf. Reil's Fieberlehre. Th. V. S. 5. sq.
Hufeland's System der praktischen Heilkunde. Th. II.
Haase's chronische Krankheiten. Th. IV.

veniunt, ex inflammatione cum sequelis suis prodire. Inflammatio ut quivis alius morbus duobus rebus originem suam debet, nempe irritamento cuidam et reactioni organi, in quod irritamentum egit. In inflammationis igitur cura non modo irritamenti, sed etiam organi, quod inflammatur, indolem et ingenium respicias necesse est [1]).

Quantum igitur fructum illa prima divisio impetiginum e sede desumpta therapiae praebet. In primo ordine haud difficile quisque illas impetigines ponet, quarum sedem in externa cutis superficie agnoscet et ex illa medelam suam diriget, facile igitur scabiem pruriginem aliasque his similes iis adnumerabit. Pari modo ad ordinem secundum herpes, crusta lactea aliaque pertinent. Cum autem in iis impetiginibus, quae in tela cellulosa sub cute jacente haerent eamque corrodent, aliam curandi rationem medicus adhibeat, cum hoc organon affectum alius indolis sit aliamque reagendi vim eliciat Ita invenimus medicamina ab auctoribus in lepra laudata magis penetrantia et efficaciora apparere, ut unguentum picis, ungt. oxygenatum et alia hujus generis corrodentia [2]).

De secunda impetigines dividendi ratione mihi proposita nullo modo in universum decerni quidem potest, an qua impetigo contagiosa sit nec ne. Neque enim rationem, quo modo plurima contagia nascantur, novimus, neque quid contagium ex essentia sua sit scimus. Quot et quales opiniones ab *Hippocrate* usque ad recentissima tempora in hac re regnarunt et refutatae sunt! Modo divinum quoddam (τὸ θεῖον), modo constellationes et sidera, modo fermentationem et putredinem, deinde seminium animale aut vermes, ut contagia animata, tum alkalescentiam, deniqne materiem hydrogenam et magneticam

[1]) cf. Dzondi über Entzündungen in den verschiedenen Organen, in Gräfe's u. Walter's Journal. Bd. I.
Abhandlungen aus dem Gebiet der prakt. Medizin ꝛc. Landshut 1810. Bd. I. S. 361 sq.

[2]) cf. l. c. Artikel Lepra.
Willan l. c. eodem.
Josephi Frankii praxeos medicae universae praecepta. Lipsiae 1815. Vol. II. Sectio I.
Haase chronische Krankheiten Bd. IV.

neticam medici causam contagii accusarunt [1])! Quantopere in scabie sola auctores differunt. *Linné* [2]) et *Wichmann* [3]) tum *Joannes Petrus Frank* [4]) insectum (acarum exulcerantem) causam ejus nuncupant; cum alii [5]) illud animal productum quidem morbi neque tamen morbum ipsum judicent. — Quid porro de variis scabiei varietatibus psydracia, psoriasi etc. dicam, quas *Frank* non contagiosis adnumerat, e quibus tamen *Batemano* [6]) teste ipsa scabies vera evolvi potest?

Videntur igitur quaedam externe agentia in contactu cum organismo effluxum suum in processum chemico-vitalem organismi agere eumque mutare et hoc modo hunc et illum morbum sic dictum contagiosum evocare. Morbo vero producto, processus ille chemico-vitalis alienatus quosdam corporis humores mutat eosque illa alienata indole imbuit, quo in alio individuo eandem alienationem processus vitalis provocare valeant, hoc est alios homines eodem morbo afficere. Si igitur ille processus vitalis mutatus quidem apparet neque tamen effluxu externo alienatus, sed quodam interni organismi vitio adductus, tum illam mutationem humorum non profert et facultatem inficiendi iis haud tribuit. In cura autem morborum ita nostra interest an contagiosus quilibet morbus sit, nec ne, ut specifico illo irritamento specifica remedia opponamus iisque morbum deleamus. Omnes vero auctores, qui de exanthematibus scripserunt, quamvis curatius et diligentius varietates distinxerint, tamen in medela omnes fere ad specifica confugiunt, ut ipsa *Alibert,* qui illas varietates a *Frankio* scabiei adnumeratas, psoriasin psydraciam aliasque tam stricte et acute distinxit tamen in cura omnium illud specificum nempe sulphur magis magisque commendet [7]).

---

[1]) Harles Handbuch der ärztlichen Klinik. Leipzig 1817. Bd. I. S. 519 sq.

[2]) Exanthemata viva.

[3]) Aetiologie der Krätze. Hannover 1791.

[4]) Epitome I. 1. pag. 169.

[5]) Levy de varia scabiei indole. Gottingae 1790.
Graßmann in Baldinger's neuem Magazin. Bd. XI.
Stark Handbuch zur Erkenntniß u. Heilung der Krankheiten. Jena 1799. Th. I. S. 605 u. 606.

[6]) Cf. l. c. pag. 47.

[7]) Cf. *Casper* l. c. pag. 114 ad 196.

Spontaneae deinde impetigines ex varia illarum causa diverse tractantur. Est enim modo vitium viscerum abdominis, modo acrimonia humorum, tum transspiratio depressa, denique vitalitas cutis alienata, quae eas adducere valent. Prout igitur nobis manifestantur modo purgantia et resolventia, modo alternantia et diaphoretica medicamina ex usu erunt. Quo factum est, ut tantam remediorum faraginem ab auctoribus in impetiginibus commendatorum possideamus. Ubi ergo viscerum obstructio ut causa accusatur extractum taraxaci, trifolii fibrini, chelidonii majoris, salia fracta dosi, rheum aliaque similia tradiderunt. Acrimonia vero humorum, mercurialia, inprimis hydrargyrum muriaticum mite, in pertinacioribus casibus mercurium sublimatum corrosivum, tum antimonialia, praecipue sulphur auratum, nonnunquam mercurium cum antimonio junctum ut pulverem *Plumeri* nec non sulphurea requirit. Transspiratio denique impedita spiritu *Mindereri* decocto lignorum sarsaparillae, guajaci, radicis chinae nodosae aliisque revocatur.

Ad rationem vero medendi in externa cute adhibendam quod attinet, tertia illa divisio a nobis proposita nutum sane prosperum agendi praebebit et medicum recte dirigit. Confitendum quidem est, impetiginum copiam non facile in eas distribui posse, quae erethica vi inprimis polleant et in eas, quae torpida indole inprimis vigeant, cum indoles illa non constans et certa iis insit et in certis intervallis modo hoc modo illud ingenium recipiant. Sed distinctio illa inter erethicas et torpidas impetigines facile quisque medicus attentus offendet et curationem ex hac instituet. Cum igitur omnis impetigo inflammatio cum sequelis suis, exsudatione, suppuratione et exulceratione sit, fieri non potest, quin haec inflammatio in eruptionis initio erethicam indolem prae se ferat. Medicus igitur, qui iis in primo stadio succurrat, sane erethicum ingenium respiciat. Quam diu igitur status ille inflammatorius remanet, quoad calor, rubor, dolor, aliaque inflammationis signa adsunt, curatio antiphlogistica capiatur, et ipsa facies hujusmodi impetiginis febrisque, quae interdum eam comitatur, medicum in hanc medendi rationem inducet. Sed ob indolem lymphaticam, quae cuti inest, et ingenium inflammationis localis semper fere synochalis illa cura antiphlo-

gistica coarctata erit, neque totus ejus apparatus in usum vocandus.

Inprimis igitur illa ratio torpidi et erethici ingenii curationem externam recte ducet.

A) Erethicis impetiginibus sequentia remedia externa praecipue respondent:

1) Sanguinis detractio, non tamen universalis sed localis, hirudinibus, praesertim autem cucurbitis sanguineis, instituenda. Quae methodus nunc quidem rarius quam olim adhibita, et in impetiginibus tractandis plane fere exclusa est, sed injuste et magis ex arbitrio quam experientia hoc factum est. Neque enim aliud medicamen possidemus, quod in primo stadio inflammatorio vel tempore eruptionis, vel ubi inter impetigines jam florentes novae eruptiones sequuntur, sicut in scabie et herpete fieri solet, affectiones inflammatorias cutis calorem et pruritum molestum ruborem et congestiones tam cito cohibeat et coërceat, tum dolores molestos mitiget, ac cucurbitarum sanguinearum vel in rubicundo et sensibili loco ipso, vel in ejus vicinia, applicationem. Quamquam igitur in libris therapeuticis hoc remedium plane emittitur et negligitur, tamen experientia usum ejus tantopere probat, ut summi hujus seculi medici, *Hufelandus* [1], *Joan. Petr. Frank* [2], *Josephus Frank* [3], in his morbis cucurbitas quam maxime commendare haud dubitent.

2) Frictiones cutis cum substantiis oleosis et pinguibus cum vegetabilis tum animalis originis. Medicamen demulcens salubrem efficaciam in cutem inflammatam exercet, sensibilitatem hujus organi auctam diminuit, pruritum et ardorem molestum mitigat et psoriasi et herpetibus inprimis commendandum. Frictio vero ipsa minus prodest, imo irritatione nimia facile nocet; oleosa vero etiam tam utilia sunt, ut externas res noxias e. gr insecta cute amoveant. Quas ad frictiones, utimur oleis expressis, ut oleo amygdalar. dulc., olivar., papav. alb., nuc. jugland., tum unguentis, v. gr. unguento de althaea, pomadin. rosat; inter pinguedines animales, butyro in-

---

1) System der prakt. Heilkunde. Berlin 1819. Bd. II. S. 62

2) Epitome Lib IV. pag. 68.

3) L. c. Lib. II. pag. 58.

sulso, axung. cervin., vervecin.; ob indolem rancidam axungia porcina et similia excludantur.

3) Balnea tepida, medicamen fructuosissimum, quo non facile carere possumus. Jam observatio satis communis, homines, qui saepius balneis utantur, multo rarius quam alios morbis cutaneis affici, usum eorum prodeat. In hoc tamen erethico stadio ista balnea mitioris et demulcentis generis esse debent, neutiquam autem frigida, neque etiam calidiora, sed tepida, adhibeantur. Sensibilitatem cutis et molestias ex illa dependentes mitigant et cohibent; saepe ipsa sola recte adhibita morbum removere valent. Aptissima sunt balnea ex aqua fontana simplici cum sapone, e lacte, tum etiam e decocto herbarum mucilaginosarum.

Imo balnea animalia a *Petro Frank* [1]) commendata huc pertinent, sed difficultas usus eorum saepe nos impedit, quo minus iis utamur.

Pari modo cura interna in stadio inflammatorio fini in externa curatione proposito respondebit, et propterea etiam antiphlogistica erit. Rarissime tamen, ut jam supra exposui, illa antiphlogistica methodus, qualis in exanthematibus acutis in usum vocatur, hic locum tenebit. Neque venaesectio nec nitrum in magna dosi hic usurpantur, quamquam fieri potest, ut febris vel inflammatio synochalis cum impetigine complicatae haec medicamina requirant, sed iste casus fortuitus non normalem tractandi viam sistere potest. Nitro igitur fracta dosi modo in initio impetiginum quarundam utimur praecipue in emulsione. Sic in scabie recenter prorupta, pruritus et calor molestus eo sedatur et nocte, qua et in impetiginibus affectiones inflammatoriae locales, ut in omnibus aliis inflammationibus topicis exacerbare solent, dolores quodammodo nitri usu mitigantur.

Gravius vero et utilius hujus stadii medicamen internum tartarus depuratus est; cum in impetiginibus indoles inflammationis cutis non synochalis sit, tartarus depuratus magis quam nitrum respondet et experientia docet, in his morbis nihil tantum prodesse quantum usum purgantium mitioris generis, ita ut usus eorum omnibus temporibus remansurus sit, et omnium syste-

[1]) L. c. pag. 56.

matum theoria eum probatura sit. Sunt autem eo magis adhibenda, quo saepius in cujuscunque impetiginis eruptae principio, status biliosus et gastricus offenditur et efflorescentia ipsa saepe morbi illius status secundarius apparet. Praeter tartarum depuratum huc pertinent: Manna inprimis apud infantes, Kali aceticum, tartarus boraxatus et natronatus, pulpa tamarindorum et electuarium lenitivum. Nec non illa medicamina antiphlogistica ab auctoribus commendata prosunt, quae substantia vegetabili mucilaginosa praedita inprimis diluendi vi pollent, qualia sunt: decoctum bardanae, taraxaci, saponariae aliorumque.

Medendi ratio modo exposita cum in initio cujusdem impetiginis, quo inflammatoria et erethica conditio satis elucet, locum habet; tum etiam in iis intervallis, ubi in torpido quidem morbi stadio erethicum ingenium nescio qua causa, recrudescere coepit.

B, Finito jam isto stadio inflammatorio et jam ille torpor impetiginis evadit, ut excretiones anomales et nimiae appareant, tum etiam vehementiora et efficaciora medicamina in usum vocentur. Cujus generis sunt:

1) Sulphur et ejus praeparata. Sane facile remedium impetiginum efficacissimum inprimis in ordine nobis dicto psoriasi, cautionem tamen medici requirit, ne vel copia, vel inepto usu noceat. Adhibetur modo in forma unguenti, lotionis vel fomentationis, modo in balneis naturalibus et artificialibus.

2) Alkalina, ob vim desoxydantem, in impetiginibus iis usum ferunt, quarum secretio acris et corrodens invenitur, tum ubi status scrofulosus morbum sustinet.

Pertinet huc: sapo, aqua calcariae ustae, kali et natrum carbonicum, aquae alcalinae minerales, Toeplitzianae, Wisbadianae etc.

3. Carbo lignorum, efficacia eximia ejus in ulceribus malignis medicos induxit, ut iis etiam in impetiginibus uterentur. Inprimis *Simon* [1]), *Thomann* [2]), *Honold* [3]), in herpetibus et tinea hoc medicamen laudant; quaedam substantiae vegetabiles, ut decoctum lignorum, herb. et

---

[1]) Repertorium mediz. = chirurg. Abhandlungen. Bd. III. Nr. 13.
[2]) Annalen des klinischen Instit. zu Würzburg. Rudolstadt 1805.
[3]) Schaub's Archiv für Pharmazie. Bd. II. St. I.

stipit. dulcamar., bardan., plantagin. etc., formâ balnei localis vel universalis.

Ubi denique jam ille status torpidus in impetiginibus evenerat, ut jam ulcera adessent, quae malam et pallidam faciem proderent, secretio ipsa jam foetida et malae notae, tum medicamina externa etiam magis penetrantia et secretionem corrigentia eligantur.

Respondent huic statui:

1. decocta plurium substantiarum acrium, ut herb. jaceae, conii maculat., nicotian., sabin., radic. colchici autumnalis etc.

2. Metallica:

a) Plumbum, cito quidem efficaciam suam praebet, eo magis igitur caveas ne inepte adhibeas. Utaris inprimis aqua saturnina et ung. lithargyri.

b) Zincum, modo in ulcerationibus impetiginosis sic dictis phagadaenicis locum tenet. Zinc. oxyd. alb. in forma unguenti; Zinc. sulphuric. forma eadem vel balnei.

c) Graphites in herpeticis a *Weinholdio* [1]) in forma unguenti commendatur.

d) Mercurialia, praecipue hydrargyrum sublimatum corrosivum in forma unguenti vel lotionis, tum etiam ung. hydrarg. ciner. non solum in impetiginibus syphiliticis, sed etiam in aliis usum ejus agnosces. Denique quorundam salium solutiones, ut salis ammon., salis marini et similia commendata sunt, quorum utilitatem sicut fructum medicaminum adstringentium medicus quisque facile ex indole cujusdem impetiginis et ex rationibus et principiis in therapia generali traditis dijudicabit.

Ceterum remedia interna in hoc torpido stadio, ut jam supra exposui, e causa earum originis medicus adsumat necesse est.

---

[1]) Ueber den Graphit als Heilmittel gegen die Flechten. Leipzig 1812.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Natus ego SIGISMUNDUS HENRICUS MICHELSEN Rogasniae, oppido magni ducatus Posnaniae, die tertio ante calendas Octobres secundo hujus seculi anno, ad annum decimum tertium aetatis meae in parentum domo primis literarum principiis imbutus, scholam provincialem publicam hoc tempore rectore beato de MIKOWSKI, praeceptore meo semper venerando, florentem adii, perque tres annos ibi versatus sum. Quo tempore praeterlapso Regiomontum petii, ut ad altiora studia instituar, ibique praeceptoribus cum publicis tum privatis per quinque annorum spatium usus sum. Anno MDCCCXXIII Berolinum profectus, ab Illustr. de RAUMER tunc temporis Rectore Magnifico die XX M. Martii inter cives academicos receptus et ab Illustr. LINK numero artem medicam colentium adscriptus sum.

Per triennium et semestre hisce interfui scholis:

Cel. ERMAN de electricitate, magnetismo atque galvanismo, Cel. FISCHER de physice experimentis illustrata, Cel. ab HENNING de logica atque metaphysice, Illustr. Illustr. HERMBSTAEDT et MITSCHERLICH de chemia universali legentibus adfui. Illustr. LINK de botanice universali, historia naturali, pharmacologia atque toxicologia, KNAPE virum Illustr. de osteologia, splanchnologia et syndesmologia, Illustr. RUDOLPHI de encyclopaedia et methodologia medica, anatome generali, pathologica atque de partium, quibus sentimus, fabrica, nec non de foetus et vermium intestinalium historia disserentes magna audivi cum cura; in corporibus dein humanis secandis ducibus viris Illustr. Illustr. RUDOLPHI et KNAPE elaboravi. Physiologiam generalem atque introductionem in ipsam me docuit Illustr. HORKEL. In pathologia generali, medicinae historia, interpretatione Celsi librorum de medicina Cel. HECKER, in semiotica atque therapia generali

ab Illustr. Illustr. FR. HUFELAND et WOLFART, in pathologia et therapia speciali ab Perillustr. C. W. HUFELAND eruditus sum. De pathologia et therapia morborum syphiliticorum Illustr. RUST, de phthisi atque pathologia generali Cel. NAUMANN, de pathologia et therapia morborum mentis Illustr. HORN, de ossibus fractis et luxatis Illustr. KLUGE me interesse siverunt. Perillustr. BERENDS aphorismos Hippocratis interpretatus est. Cel. CASPER artem formulas medicas rite concinnandi cum exercitationibus practicis junctam, Illustr. de SIEBOLD et Cel. FRIEDLAENDER artem obstetriciam tum practicam cum theoreticam me docuerunt. Illustr. JUENGKEN chirurgiam generalem et specialem, oculorum morbos et artem fascias chirurgicas rite imponendi proponentem, adii. Clinica, quae florent sub auspiciis Illustr. Illustr. BERENDS et NEUMANN, visitavi.

Tentamine jam et examine rigoroso absolutis, dissertatione thesibusque defensis, non dubito, quin summi in Medicina et Chirurgia honores mihi concedantur.

CONTENDO ET DEFENDAM.

I.

Abortiva specifica non existere.

II.

Non esse duo remedia, quibus una eademque insit agendi vis.

III.

Mercurii usum transitum syphilidis localis in universalem arcere nequire.

IV.

Dentitionem non esse morbum.

V.

Sudorem excretionem morbosam esse.